

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Oratio de Casparo Crvcigero**

**Melanchthon, Philipp  
Creutziger, Caspar**

**Witebergae, 1549**

**VD16 M 3747**

Decanus collegii philosophici.

**urn:nbn:de:bsz:31-61737**

adfert, & quasi dissonas uoces parit, etiam cum non  
prorsus negliguntur studia literarum. Nec solum de  
ceteris artibus, sed etiam de his nostris studijs  
præclare dictum esse ab Euripide iudi-  
cemus, ἢ ὀμιλῶν ἔτερε TEXVAG.

## DECANVS COLLEGII Philosophici.

**Q**VOD faustum & fœlix sit  
hodie hora duodecima instituetur Examen  
publicum, in quo specimen eruditionis prebebunt ho-  
nesti & docti uiri, qui nunc gradum Magisterij Philo-  
sophici petunt. Hortamur igitur Collegas nostros  
& alios, qui colunt Philosophica studia, ut ad hunc  
nostrum congressum amanter accedant, eoq; officio  
ostendant se fauere & honori horum, qui gradum pe-  
tunt, & ipsis Philosophiæ studijs, præsertim cum nihil  
in uita humana dulcius sit talibus colloquijs de doctri-  
na, que sunt imago eterne illius Academiæ, in qua  
audiemus doctorem filium Dei & cum Angelis, Pro-  
phetis, et Apostolis de mirandis Dei operibus suauissi-  
me disputabimus. Ipsa etiam frequentia in talibus con-  
gressibus iunioribus ostendat ordinis nostri coniunctio-  
nem, & sit exemplo ipsis, ad amandam consociatio-

B iij nem &

nem & communem concordiam, quæ Ecclesiæ Dei  
præsertim hoc tempore, maxime necessaria est.

ὁ ἁγιστὸς ἀγγέλως

ὁ ἄδελφός

οὕτως ἀσπράττει πρὸς ὅψιν,

ὡς ἀγαθῶν ἀνδρῶν

ὁμοφροσύνῃ νόστῃ.

Scriptum est in ueteri Poemate, Ac profecto uerum,  
nihil pulchrius eruditorum consensu & amicicia, quæ  
quidem & speciem Ecclesiæ honestiorem efficit, &  
omnibus officijs alenda est. Notissima sunt enim seue-  
rissima præcepta, quale hoc est, ὁ θεὸς ἀγάπην ὄσιν, καὶ  
ὁ μέγας ἐν τῇ ἀγάπῃ ἐν τῷ θεῷ μένει, καὶ ὁ θεὸς ἐν  
αὐτῷ. Quid dici nobis ad consolationem maius po-  
test, quam uerum & ardentem in Deo amorem esse  
erga nos, ut hic adfirmat, cum inquit, Deus est dilectio.  
Deinde quam seuerè additum est præceptum, Qui in  
dilectione manet, in Deo manet, id est, qui studia, con-  
silia, & labores refert non ad faciendas dissipationes,  
sed ad coniungendas uoluntates quam plurimorum &  
ad communem consensum & concordiam tuendam.  
Id officium & nobis curæ sit in magnis & paruis re-  
bus. Nihil enim paruum est, nihil contemne, ut Me-  
dici monent. Quare & nunc libenter conueniamus,  
et amanter de rebus optimis colloquamur, Imo et inter  
differendum uota ad Deum misceamus, ne doctrinæ stia-  
dia inter nos extingui sinat. Die Augusti 16.

Anno 1549.